



Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1682. usque ad annum 1690

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1781

VD18 90119231

Oratio Siamensium Oratorum ad Franciæ Regem in ultimo alloquio Anno
1686.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67608](#)




*Oratio Siamensium Oratorum ad Fran-
cicæ Regem in ultimo alloquio
Anno 1686.*

Augustissime Rex!

Ad Regem nostrum revertendi veniam a vestra Majestate supplicaturi, huc venimus; noscimus enim, quod Princeps noster anxiis curis legationis nostræ successum præstoletur. Prodigia, quæ referremus, excipere, ac pretiosa singulis suæ erga illum benevolentiae pignora per nos recipere anhellenat: præcipue vero urgemur, ut illum de Regia amicitia, quam in perpetuum Majestas vestra cum eo iniit, certiore reddere possimus: Hæc sunt, quæ vehementius, quam venti & vela tandem nos ad remigandum impellunt: Ceterum Benevolentia, qua ex vestræ Majestatis mandato ubique excipimur, nos veluti patriæ nostræ immemores reddit, aut si dicere licet, vix non Principis nostri jussa ex animo nostro oblitterat: cum autem a Regia vestra Persona discessum paramus, desunt nobis verba, quibus obsequii nostri, admirationis, ac gratitudinis, quam profitemur, sensa exprimamus: Expectabamus equidem nos singu-

singulares gratias, insignesque prærogativas in Majestate vestra agnitos: nec nos nostra fefellit spes, imo omnem nostram longe superavit expectationem, faterique cogimur, nos alloquii copiam, facilitatem, orisque suavitatem, qua honorati sumus, experiri, nunquam sperare ausos fuisse, imo nequidem nobis persuadere poteramus, in eadem Persona dotes, quæ sibi invicem adeo opponi videntur, conjungi, atque in uno eodemque throno tantam Majestatem tantumque simul & amorem morari posse: nunc vero nobis haud ultra mirum videtur, quod populi tui sub auspiciis tuis nimium fortunati, omni occasione suum erga Regiam tuam Personam amorem, tenerrimique animi specimina prodant. Nos vero, Rex Maxime, tuis beneficiis cumulati, virtutibus tuis capti, tuaque benignitate intimo cordis sensu commoti, ac sublimi tua sapientia, cunctisque Regni tui prodigiis in admirationem rapti profitemur, quod vitæ nostræ dies nimium breves, totiusque mundi ambitus nimis restrictus sit, ut ea, quæ exponimus, pro meritis deprædicare possemus: imo in recollendis tot miraculis memoria nostra deficit. Quapropter integra fide in libellis nostris studiose descripsimus omnia, quæ carptim colli-

colligere poteramus, ac denique palam profitemur, quod quamvis multa narraverimus, plura tamen memoria exciderint, nihilominus tamen hi libelli ad longævam transmittentur posteritatem, atque inter longe rarissima, magisque pretiosa hujus Regni monumenta reponentur, & Rex, Dominus noster eos ad Principes sibi fœderatos tanquam munus pretiosum transmittet, ut eo certius citiusque incomparabiles Ludovici Magni virtutes universo Orienti innotescant, utque futura etiam saecula eum admirari addiscant; annuntiabimus etiam cum gudio prosperam Majestatis vestræ sanitatem, ac singularem ipsius Cœli providentiam, qua Majestatis suæ vitam nunquam intermorituram prolongare certat &c.



INDEX